

Lothariensi, matre vero Francigena, Ermengarde, nobilissimam Francorum regum prosapiam trahente, memor resurrectionis corporis sui locum hunc sibi requiei^{a)} elegit, Ermengardis matris et^{b)} ejusdem conjugis. Antiquitus factam ecclesiolam diruit, et dirutam, consentiente uxore sua, Gothelonis ducis filia, restruxit et redificata ordinem canonicorum instituit. Evolvebatur tunc temporis annus^{c)} ab incarnatione dominica M. XLVII. indictione^{d)} XV. eodemque tempore rex Henricus Romanorum sceptro claruerat^{e)}, Wazo vero non minus bonitate quam sapientia preditus^{f)} episcopium regebat Leodiense, cujus sanctitatis opinio diffusa est longe lateque. Temporibusque hisdem^{g)} Fredericus qui et Stephanus, postea Romanorum papa futurus, in conspectu supradicti comitis gratiam invenerat, qui ei familiaritate junctus, que erant ecclesiastica, cum eo disponebat. Is autem Fredericus locum nostrum facultatibus suis, librorum suorum ornatu et reliquiarum honore, que a patre Gothelone^{h)} duce sibi remanserant, ditavit, cujus memoria non recedet a nobis in seculum seculi. Dedit et idem nobis scrinium hebeninum, sanctorum reliquiis plene refertum. Crescente aliquantulum religione, canonicorum proficiente congregatione, suadente piissimo comite Alberto, dominus Fredericus cum maximo cleri tripudio Moguntiamⁱ⁾ expetivit et ab archiepiscopo sancto Bardone^{k)} acceptas reliquias de corpore pretiosissimi^{l)} martiris Albani cum summa letitia ad nos devexit. Post multum temporis in amicitiam Leonis pape receptus immemor hujus loci non est factus. Divina providente^{m)} clementia dum Leo papa pontificum summus reliquias sancti Gerardiⁿ⁾ Tullonensis^{o)} episcopi ex habitaculo, quo fuerant antiquitus recondite, elevaret apud Tullum, et^{p)} quo requiescerent tecis tali patrono dignis relocaret, partem corporis ejus cum aliis reliquiis dominus Fredericus a papa impetravit et cum dalmatica, qua summus papa utebatur, nobis misit. Defuncto Leone successoreque ejus Victore, dominus Fredericus Romane ecclesie suscepit regimen Dei dispositione, eandemque benivolentiam, quam retro, penes nos ostendisset, nisi mors nimium matura prohibuisset. Heu, heu quantum nobis incommodum intulit, dum Frederico mors non pepercit! Videns ecclesiastice religionis amator Deo disponente cuncta, que disposuerat, in bonum proficere, congratulari cepit super ecclesiastica edificatione, et ad religionem multiplicandam locum hunc ditavit facultate, Britinium^{q)} dans nobis cum quinque molendinis, cum prato et

a) sibi requiem 2; sue requietis 3. b) et fehlt 1. 2. c) annis 1. d) indictio 1. e) clarebat 3. f) predictus 1. g) hiisdem 3. h) Gozelone 1, s. oben. i) Mogontiam 1. k) Baradone 1. l) gloriosissimi 3. m) favente 3. n) Eugenii, übergeschrieben von jüngerer Hand in 1. o) Tullensis 3. p) et fehlt 1. 3. q) Brestunium 3.